UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Castellana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70132

Visual Library

# PROVINCIA CASTELLANA.

ENVMERAT Prouincia noſtra quadringentos,& octoginta, ex quibus centum & octoginta ſunt Sacerdotes, reliqui fratres, partim litterarum ſtudioſi, partim Adiutores. Noſtri duodecim ad alias miſſi Prouincias: in Societatem admiſſi triginta: mortui, quæ magna clades fuit, ſexaginta octo: mirabilibus operarijs exhauſta Prouincia, quæ non ſibi modò, ſed alijs etiam locuples eſſe conſueuerat.

## DOMVS PROFESSA VALLISOLETANA.

DVO illa grauiſſima mala fames,& peſtis, quibus immortalis, ſempiternusque Deus hanc vrbem affici permiſit, Noſtrorum charitate tolerabilia fuerunt. Nam ad alterius leuationem huius Profeſſæ domus Patres eleemoſynam collegerunt,& cum Regij iudicij Præſes,& ciuitas, quæ men-

dicos diſtribuendos curauiſſet, noſtra domus viginti ſuſcepit alendos, ſuamque in eo fidem egregiè declarauit. Peſtis altera plaga quinque integros menſes vrbem afflixit, quo tempore Societatis miniſteria noſtri Sacerdotes obiêre, non ſecus, ac in alijs morbis, qui cõtagioſi non ſunt, factitari ſolet à Noſtris: nemoque ſe noſter abſcondit, domo, vel nõ vocati egreſſi, ſui copiã cũctis faciebant. Quatuor ex Societate, duo Patres, totidemque Fratres peſte deceſſerũt, quibus adhibita domi remedia illa eadẽ charitate, & diligẽtia, qua illos curari ſolemne eſt, qui in morbum non peſtiferum inciderunt. Illud in hac vrbe mirabile, & exempli ſingularis, quod Senatus vrbis ad contagionis remedium Noſodochia inſtituit, & cùm peſtilentium numerus mille quadringentos compleuiſſet, nec Miniſtri tales inuenirentur, quales neceſſitas tanta poſcebat, ad Religioſorum familias confugere ſtatuit, qui ſuam Chriſtianis operam minimè denegarent. Itaque Monachi Prædicatores, Franciſcani, Auguſtiniani, Trinitatis, D. Baſilij, Minimorum, & Carmelitani, illi qui antiquam regulam renouantes auſterè viuunt, partim ad ſacramenta, partim ad corporis medicamenta præſtanda in Valetudinarijs habitare cœperunt, noſtraque Societas quatuor fratres huic operi libenter addixit, noſtrumque hoc donum Prætor vrbis magni æſtimauit. Erant enim optimi rerum ſimilium adminiſtri, qui cùm ſuam operam cunctis valde probaſſent, tresque peſtem paſſi eſſent, vnus tandem exceſſit è vita, reliqui valetudine recepta, in cœpto opere tamdiu perſtiterunt, dum relata ſanitas Rempublicam tranquillauit. Senatus veſtibus, quas induerant, detractis, ne quando latens peſtis erumperet, nouas noſtris tribus dedit, eandemque liberalitatem, prouidamque cautionem erga Monachos illos ſeruauit, qui ſuis relictis cœnobijs peſtilentia contactos deſerere noluiſſent. Hoc ipſo peſtis tempore pro-

feſſæ

feſſæ domus Patres locupletum quorundam domos obierunt, ad illa quærenda, quibus oblectãtur ægroti, cuiuſmodi ſunt illius cruſtula panis, cui ſacari ſapor, & oua miſcentur; fruſtaque conditæ cucurbitæ, & citriorum, quæ morboſis ita demùm placent, vt etiam ſalubria ſint. Ipſa namque ciuitas, quæ gratis neceſſaria prębebat, de infectorum delicijs ſollicita eſſe non poterat, & maiorum rerum contenta ſubſidijs delectaméta malè habentium illis hominibus relinquebat, quos cæteroquin diuites; charitas ipſa; Noſtrorumque admonitio permouiſſet, qui per Noſtros hæc; quæ ſunt voluptatis, ad Noſocomiorum ęgrotos libenter miſſitabant. Itaque medicamina, & quotidiana panis; & carnis alimenta cómuni ſumptu ciuitas, alleuamenta verò priuatorũ quorundam miſericordia Noſtris; & procurantibus, & portantibus erogabat.

---

# COLLEGIVM VALLISOLETANVM.

ENVMERATI quadraginta, Patres quatuordecim, fratres tam ſtudioſi, quàm operoſi ſex & viginti: obiêre quinque, rerum Collegij conuerſione mirabili: ſiquidem proximis viginti annis vnum duntaxat Ambroſiana hæc domus humauerat. Ex mortuis duo erant Sacerdotes, alter Ioãnes ille Suarel, cuius religioſa prudentia peculiarem quamdam poſcit hiſtoriam: alter Doctor Gabriel à Campis domus Profeſſæ hoſpes, ſed ad Collegium deportatus quòd in eius villa ægrotare cœpiſſet: huius viri conciones quales fuiſſent auditorum frequentia mirabilis teſtabatur: hominis pia mors vitæ index futuræ,

Fratres noſtros duos vſitata febris extinxit, tertium pe-
ſtis deuorauit in contagionis Valetudinario verſante
quò eum obedientia miſerat,cùm ſe ipſe libenter ob-
tuliſſet.Eſt quidem huius Collegij proprium munus li-
ratæ profitendæ virtutis, cum fratribus Theologi
Philoſophis,quos alit & inſtruit; tamen ſi neceſſitas e
git ,Noſtri ſuam operam externis denegare non ſole
Ergo primos illos duos, quos peſtis infecit Valliſole
nos ciues à noſtris Sacerdotibus in confeſſione audit
& ad piè moriendum eſſe conſtat adiutos:cæteriqùe P
tres peſtilentia graſſante periclitantibus adfuerunt. E
quoque fami vehementer angenti prouiſum, externiq
duodecim ſcholaſtici ad Collegij ianuam aliti public
diſtributione. Quam ad rem commodiùs & benign
peragendam Collegij Rector aureos plùs trecentos
miſericordibus corrogauit,alijq; Collegij Patres ad c
tagioſos in Noſocomio publico iacẽtes recreãdos,ele-
moſynas vndique collegerunt , Mænianum , vnde c
ſuſpectus eſt liber,noſtris litterarum ſtudioſis valde o-
portunũ Pater Rector Antonius Padilla curauit extru-
dum,cuius Illuſtriſſima parens ad hos ſumptus, ſcuta
mille & ſeptingenta donauit.

DOMVM illam,quę Collegio contigua diu & mul-
tùm à Noſtris fuerat expetita,tandem aliquãdo vacuam
fecit inquilinus: hæc vbi primùm noſtra eſſe cœpit,om-
nino duorum,quos peſtis attigerat, hoſpitium fuit,diui-
nitùs prępàrato perfugio,ne peſtis ad cęteros permana-
rét.Coemptæ præterea ſunt quinque domunculæ Col-
legio vicinæ ad hortum conſerendum. Sacra ſuppelle
renouari cõmodè poterit cuiuſdam viri nobilis libera-
litate,qui moriens teſtamento legauit aureos millenos
annuæ penſionis ſtabiliendæ, quæ res templi perpetuò
ſuſtentet.Idem totidem alios mille reliquit , vt Collegij
bibliotheca reſici poſſit , & libris augeri. Mortuus eſt

Hiero

Hieronymus Hennena genere, religioneque nobilis, & Societatis magnus fautor quippe, qui Collegio Valliſoletano aureos trecentos, annuos donauit.

# COLLEGIVM ANGLICVM VALLISOLETI.

ALVIT hoc anno ex Societate decem, ex conuictoribus Anglicanis quadraginta quinque non ſemel quinquaginta. Ex Societatis Patribus vnus eſt mortuus, cuius & virtus & ſcientia ſuæ gentis hominibus peropportuna fuit: Erat enim ortus in Anglia, linguæq; communio Britannos aduenas mirabiliter oblectabat. Quidam ex his hoſpitibus magnę expectationis adoleſcens in noſtram eſt Societatem admiſſus: 8. alumni Sacerdotio ſtudijs abſolutis conſecrati, in Angliam pro Catholica fide viriliter concertaturi redierunt, è quibus duo in hæreticorum Anglorum manus Rupellę in Gallia deuenerunt, qui vbi ſuã fidé conſtanter ſunt profeſſi, conſtricti, & ligati in nauim coguntur aſcendere, quæ ad Angliam properabat. Vnus Vinſoniæ morti addictus præclarum ſuæ fidei, & conſtantiæ documentum teſtimonio publico dedit. Tertius ex illis octo, quos diximus, in ipſo Anglicanæ inſulæ portu compræhenſus, nec multò poſt capitali ſententia damnatus, vtrùm vitam finierit ignoramus, ſæpè enim iudicia ſupplicium longo conſequitur interuallo. Sanitatem iuuentutis Anglicæ in tam peſtifera mortuorum ſtrage vno dumtaxat attacto, & breui ſanato, in maximis Dei præpotentis donis numeramus. Hoc ipſo anno vir quidam nobilis ex vltima Anglia, terræ, mariſq; immenſis periculis ſuperatis in Caſtellam peruenit, eo tantum conſilio, vt ſuum primum filium præclaræ indolis puerum in hoc Seminario conſtitueret, quem vt alter Abrahamus Deo immor-

tali parat offerre, & emenſo ſtudiorum curriculo fidei Catholicæ ſacrificium, & hoſtiam immolare.

# COLLEGIVM MEDINENSE.

DEGVNT quadraginta, & ex Societatis, qui delegerunt, præſcripto vitam & mores indu-tuunt. Philoſophiæ diſcipuli perſtrenuè ſe ge-runt: nonnulli diuturnis morbis impediti, ta-men quantum poſſunt, tantum animo contendunt, vt an-nos aſſequantur. Diſcipulorum latinitatis numerus, vt in morboſo anno minimè contemnendus, ex his octo varijs ſe religionibus deuouerunt. Proxima æſtas inuſitato in valetudine huic infeſta Collegio tàm multos afflixit, vt interdum ex Noſtris viginti quinque cubare cogerentur, quibus valentium charitas preſtò fuit: nihil enim nostris ægris deſideratũ eſt, nec à ſanis prætermiſſum. Pater Pru-dentius à Monremaure, qui Collegium pro Rectore ab-ſente, Romamque magnis de negotijs miſſo gubernabat, menſe Aprili deceſſit, non ſine mœrore Noſtrorum, qui-bus ſe Prudentius charitate probauerat ſapientiæ con-iuncta. Pręfuerat alijs præterea Collegijs, & Theologiam cum laude docuerat. Exeunte Auguſto mortuus eſt frater Ludouicus Soranus, vnus ex Logicæ auditoribus, quem non modò Magiſter, & condiſcipuli, ſed domus etiam to-ta defleuit, ob morum candorem, & raram naturæ leni-tatem. Ad Septembris finem è vita migrauit Pater Chri-ſtophorus Larus confeſſionum perennis auditor, & vir-tutum maximarum laude præcellens. Non multò poſt Pater Ioannes Torres Abulenſis, Collegij incola, noſtri-que diuturnus hoſpes, longiſſimo conſumptus eſt morbo,

cum

tum patientiæ mirabilis clara noſtris exempla monſtraſſet. Archidiaconus Olmerenſis Collegij & amicus, & vicinus diem clauſit extremum, & Noſtros poſt quædam legata diſtributa bonorum, quæ ſupereſſent ſcripſit hæredes: at Noſtri pro maximis diuitijs voluntatem habuerunt. Non enim ditare nos poterat, qui pauper erat, & Chriſtianę Philoſophię ſectator. Cum de Medinenſi quodam ciue claris orto natalibus, ob grauia quædam ſupplicia ſumendum eſſet capitale ſupplicium, quemdam ex Noſtris, & ad peccatorum expiationem, & ad mortis ignominioſæ certamen fortiter ſubeundum reus ipſe popoſcit, cuius ope, & auxilio ita ſe in moriendo geſſit, vt vitæ infamiam magna ex parte redemerit.

# COLLEGIVM SALMANTICENSE.

VIVVNT in hoc Collegio quinquaginta tres, Sacerdotes viginti, ſcholaſtici Theologi vndeviginti, cæteri ſunt rerum domeſticarum perennes adminiſtri. Obiêre ſeptem, quatuor erant Patres, ſtudioſi fratres duo, adiutor vnus, in quorum locum admiſſi quindecim, quorum tredecim litteris dediti, duo ad res Collegij tractandas admiſſi. Concionator noſter ingenti exceptus applauſu, frequentiæ reſpondit vtilitas, quippe Nouitijs cœnobia completa. Exéplorum narratio, quæ in hoc primum cœpta Collegio in reliquis Hiſpaniæ domicilijs imitatione quadam præclara conſedit, hoc anno tam proſpero curſu nauigauit, vt Academia, ciuitas, cœnobia, collegia, plebs, & nobilitas Noſtro adeſſet ſalubres Sanctorum hiſtorias memoranti.

FRVCTVS non impar tanto numero: nam morum

ſecuta

ſecuta correctio eſt in plurimis,& generalis exercita vitæ confeſſio, multi qui ſe ad varia cœnobia contulerunt. Beatiſſimæ Virginis Sodalitas ex ipſo Salmanticenſis Academiæ flore collecta feliciter perſeuerat. Patris Rectoris, qui dux, & auctor fuit, adhortationes à Congregatis libenter audiuntur, quibus & ipſi domeſtici libenter interſunt. Litaniæ Dei Matris à Templi maximi choro cantantur. Habet Sodalitas Parthenia conſiliarios, tàm virtute, quàm rerum gerendarum prudentia conſpicuos. Præfectus hoc ipſo anno Segouienſis Cathedralis Eccleſiæ Archidiaconus, cuius & nobilitas ſuaſit, & ſapientia peruicit, vt proximo anno Academiæ Rector crearetur. Idem Congregationi imaginem Dei Matris dedit ornatam peregregiè, aliorumq́ue eleemoſynis Sodalium, quæ ſunt neceſſaria comparantur, ipſumq́ue ſodalitatis ſacellum quotidie magis eniteſcit. Annonæ caritas, quæ Caſtellam vniuerſam vehementer afflixit, Vrbis huius nobilem Senatum coëgit, nouum quoddam Xenodochium ſtatuere, quod mendicis illicò redundauit. Noſtri hoc diuerſorium ſingulis noctibus inuiſebant, vt ægrotantium confeſſiones audirent, quos ſine confeſſione mors rapuiſſet, ſi opportunum hoc, & ſalutare quotidianæ noſtrorum præſentiæ remedium defuiſſet. Huic extremæ neceſſitati dum Pater Ioannes Ximenius occurrit, nec ſe vllo vnquam tempore denegat, vltimo tentatus morbo naturæ conceſſit, & vrbem orbam reliquit, cuius pater erat amabilis. Hoc ipſo anno Pater Martinus Arnoz, & frater Franciſcus Henera intenti charitatis operibus ad ſuperos euolarunt. Nam cum publicum de facinoroſis quibuſdam ſupplicium ſumeretur, & in carcerem ſæpe veniendum eſſet, & graui pædore obſita viſenda latibula, quodq́ue ex tormentis brachia hominibus putreſcerent, intolerandus fœtor noſtros duos infecit, & breui conſumpſit. Non multò poſt Pater Franciſcus Zamora è vi-

ta

rexijt, operarius nobilis, & pauperum tutor inſignis.

# COLLEGIVM PALENTINVM.

INCOLAE fuerunt hoc anno 21. Sacerdotes nouem, Philoſophiæ auditores fratres numero ſex, reliqui muneribus addicti domeſticis. Qui liberales artes addiſcebant ſuum curſum externi domeſtici peregerunt: & in re litteraria, & in Religionis augmento plurimum profecêre qui noſtri erant, alieniq́ue non pauci virtutis, & ſcientiæ compotes euaſerunt, ex quibus multi ad varias ſe Monachorum familias contulerunt. Conciones, & confeſſiones populus ſtudioſè frequentat, vtrarumq́ue fructus extitit illorum emendatione, qui publicè grauiſſimis ſe ſceleribus alligarant. Iurandi deteſtandiq́ue temeritas, illuſtriſſimo patrocinante Palentino Præſule per Noſtros breui exterminanda eſſe ſperatur, ita ſunt multa remedia, quæ aduerſus inueteratum hoc malum comparantur. Nonnulli, tàm ex clero, quàm ex numero laïcorum apud Noſtros cœleſtia commentati, vitam, & mores mirabiliter renouarũt. In ſedandis quorundam cõtrouerſijs illud eſt aſſecuta Societas, vt & publica vitaretur offenſio, & multorum in columitati proſpiceret, quos pernicioſa ſimultas tutos eſſe non ſineret. Vſus noui templi iam liber eſt noſtris, ædificatione prorſus abſoluta, in id ſanctiſſima Euchariſtia celebri pompa tranſlata, & maximo ciuitatis tripudio. Conuenerunt ex municipijs, oppidiſq́ue permulti, nouaq́ue noſtra baſilica cunctis, tùm ſua ſpecie planè viſenda, tùm additis magni pretij periſtromatis voluptati fuit. Aderant ingenioſa poëmata, & dul-

cis

cis auditu ſymphonia, adhibita chorea, & periucunda ſaltatio, igniſque peruolantis artificioſa fulgetra, diem illum Palentinis lætum illuxiſſe monſtrabant. Ciuium ad templum concurſus in dies maior eſt: inter illa enim quæ in cuncta Hiſpania Societas habet illuſtria, noſtrum Palentinum artificum iudicio ſapientum numerari poteſt.

# COLLEGIVM ABVLENSE.

HABITARVNT viginti ſex, Patres ſedecim, fratres decem, etſi perfugio peſtis auctus eſt numerus, nam loci ſalubritas, & Prætoris Vrbis vrbanitas, inque Societatem amor fecit, vt ex Noſtris huc à Patre Prouinciali nonnulli ex necesſarium Collegij numerum mitterentur, duo Fratres admiſſi, quorum alter obtinuit, vt à Prouinciæ Moderatore ad contagioſos Valliſoleti curandos amandatus abiret, quos audierat eſſe grauatos. Collegij ſanitas, cum tàm vicina contagio eſſet, multique ex febribus licet non peſtilentibus in vrbe laborarent, pro miraculo fuit, ſiquidem duo tantum ex noſtris ægrotarunt, valetudine poſt breue tempus reſtituta. Neque verò ciuitas peſtem effugit, quæ tamen Deo miſerante non alios niſi pauperrimos interemit, quibus Noſtri tàm diligentes adfuerunt, vt Illuſt. Epiſcopus Collegij Rectori hoc nomine gratias egerit, & Societatis charitatem perſtudioſè laudauerit, illis præſertim refugientibus quibus erant parochiæ demandatæ, & animarum cura commiſſa.

OBIIT Pater Ioannes Torres, cuius habet Medina ſepulchrum (erat illius hoſpes Collegij) ſed Abula monumentum, vbi per annos plus triginta perſtrenuè laborauit,

quit. Fuerat & confeſſione ſalutaris, & conſuetudine fructuoſus. Redemerat captiuos ex Maurorum ſeruitute;& Regi Barbaro imprimis acceptus, ſuæ Chriſtianæ prudentiæ veſtigia reliquit impreſſa. Quemdam quoq; Hyeroſolimitanæ Militiæ pernobilem virum, cui eſt albæ crucis inſigne, qui à Piratis captus Algerij ſeruiebat, cum Valentiam perueniſſet, neque fretum traieciſſet ex numero captiuorum per litteras exemit. Valebat ipſa Ioannis auctoritas, neque eius requiſita præſentia eſt, ad viri noſtri ordinis amantiſſimi libertatem. P. Ign. meditationes ab omnibus recultæ domeſticis cum fructu & Religionis incremento. Quidam Monachus ad vitæ perfectionem commodiùs aſſequendam hoc remedium aſſumpſit, duoque alij hoc idem moliuntur.

ANNVNCIATAE Virginis Sodalitas ex nobilibus, tàm ſacris, quàm profanis ſuum curſum tenet, & Noſtrorum cohortationibus quotidie reuireſcit. Ergo congregati Sacramenta fructuoſè iterant, & erga egentes liberales ſe præbent. Duo ex horum numero mortui, quorum alter nobilis laicus ſe quotannis in ſpirituali paleſtra diuina commentans, atque conſiderans exercebat, bis in hebdomada communicabat, vxore cõſentiente tori genialis vſum hoc vltimo vitæ quinquennio neſciuerat, iniurias acceptas vltrò remiſit; erga inopes, & ægrotantes officioſus: quin & moroſæ cuidam mulierculæ, valdeque ingratæ, quæ ſe pro debilitate pedum mouere non poterat cibũ quotidie de propria mẽſa ſuppeditabat, idẽ generoſæ, numeroſæq; illius iuuẽtutis, quę illuſtriſs. Toletano Pręſuli, Garſiæ à Loaiſa ſeruiebat, pædagogum ſe præbuit admirandũ. Alter Ludouicus Guſmanus Sacerdos, & generoſus, & ſanctus, & huic Collegio mirè beneficus, aureorum donatione bis mille & ſexcentorum, qui in Noſtro humatus eſt templo, de P. G. cóceſſu in huius pernobilis viri animo altas egerat

inde

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inde à prima ætate virtus radices : in altaris hoſtia im- molanda horam ponebat , & cùm Philippo Hiſpano- rum Rege audiente , cuius eleemoſynas quodam tem- pore diſtribuit, aliquando ſacrum faceret, nihilo ſe- riùs expediuit. Non priùs ad aram accedebat , qu alterius Sacerdotis ſacrum flexis genibus audiui in gratijs poſt miſſam agendis perdurabat. Miſericor- diæ Sodalitium ad pauperes ſubleuandos , quod noſtr Societatis Pater Antonius Lares erexerat, quaſi hume Ludouicus à ruina ſuſtentauit. Nam cum ex primar viros permultos aggregaſſet , author omnibus fuit, se domi Noſtræ ſpiritualibus meditationibus expolire ſeq; ipſe primus exercuit : ex quo factum eſt, vt in ege- tes miſericordia maior eſſet : profecta quippe à puri- ribus animo Sodalibus, eis qui noſtris presbyteris deli- cta confeſſi erant , ſacram communionem ipſe imperti- batur, & ſocios venerabundus ad fletum incitabat, æg- torum lectos ſuis manibus ſternebat , quin & ſella languidos in Valetudinaria publica deportandos intro- duxit , & ad maiorem ſui victoriam vbi qui obiera pauper humatus eſſet , vacuum pheretrum per vias pu- blicas pius veſpillo reportabat, quippe qui baiulis vten- dum eſſe negaret, quorum euitata merces pauperum a- lendorum theſaurum augeret, ſoluta minueret, ob quam cauſam frugaliſſimus erat, ſuaq́ temperantia multorũ fa- mem ſaturabat ſibi parcus, & inops , egenis liberalis, diues , caſtitatem licet Regis aulicus diligentiſſimè con- ſeruauit, & in hoſpitijs contubernijsq́ue quibuſdam Ve- neris vicina vitauit incendia. Denique Garſia Loayſa di- gniſſimus Toletanus Antiſtes , hunc ſibi eſſe non modò eleemoſynarium , ſed etiam intimum conſiliarium vo- luit, quod munus Ludouicus accepit, vt Garſiæ à Loayſa liberalitate , & Sodalitatem Miſericordiæ, quam ferebat in oculis, & Noſtræ Societatis Abulenſe Collegiũ bon-

poſſe-

bonis poſſet augere, quæ conſilia cita mors impediuit; tamen quæ habuit, partim Noſtris, quos intimis amabat affectibus, partim Sodalitati legauit, etſi nobiſcum feliciùs actum eſt, qui ſancti hominis corpus poſſidemus.

PLEBEIORVM Sodalitiũ, de quo annis ſuperioribus egimus, floret quotidie magis. Nam diebus Dominicis illius eiuſdem Patris cohortationibus, qui operis inuentor fuit, noui Sodales interſunt, & Chriſtianæ vitę officia cõdiſcunt; quin & ex Mauris oriũdi, quorũ in hac vrbe magnus eſt numerus, ad has catechiſmi ſalubres explicationes ventitant, & quæ non nouerant myſteria docentur. Sanctiſſimi Chriſti corporis feriæ in noſtra æde celebres plurimos interuentores quot annis inuitant: ſed hic annus omnium videtur fuiſſe lętiſſimus, cùm fidelium ipſa frequentia, tùm rerum accretione multarum. Lucra Collegij quidam noſter Mœcenas, & fautor adauxit antiquus, bis mille nũmis argenteis donatis. Vidua quædam clara virtutibus è vita migrauit, aureoſq; ducentos Collegio reliquit, ad anniuerſariam ſtatuendam ſtabiliendamque pecuniam, qua cera ſacris altaribus comparetur, quæ eius ſententia diſertis verbis teſtamento declarata fuit. Hoc ipſo anno ſcutatorum mille & ſeptingentorum ad Noſtros eſt deuoluta poſſeſſio illius obitu, cui erat pecuniæ vſus donatoris permiſſu conceſſus in vita, Noſtriſque eorundem ius dominans attributum.

# COLLEGIVM BVRGENSE.

COLLEGAE cenſentur viginti duo: at in Nenenſi villa tres habitant, ijque morbis diuturnis ad hanc diem conflictati. Hyemalis renouatio votorum feruens omnium animo

ad mala ventura firmauit,omnes ferè domeſtici generali ſe confeſſione munierant, & quodam peſtis augurio manere in Collegio ſtatuerunt, vt proximis laborantibus auxilio eſſent, ſteteruntque promiſſis. Vt primum peſtis oſtendit, rogante ciuitate clauſum eſt humanarum gymnaſium,Latinitatiſque Magiſtri, & cæteri omnes ciuitatis remedio cogitare cęperunt:& cum Senatus vrbis contagioni curandæ Noſocomium publicum ſtatuiſſet,illius nos procuratione liberauit, ratus fore ſalubre vt noſtra domus in media Vrbe ſita omnium ciuium eſſet commune perfugium.Itaque contagioſorum hoſpitij alijs Religioſis demandata cura,quod illi munus pręclarè geſſerunt, eleemoſyniſque,quas & Archiepiſcopus & Senatus erogaſſet,per fideles quoſdam miniſtros diſtributis,noſtræ partes fuerunt ciuitatis non emporia ſolùm,ſed colles etiam,& angiportus circuire.Neque vero Noſtri dùm vocarentur expectabant, cumque languidorum confeſſiones Societatis Patres audiſſent, Parochi miro ordine ſuccedebant,duo reliqua Sacramenta miniſtrantes. Deferebatur ad ægros Euchariſtia ſacroſancta, eo comitatu,ſequentiumque concurſu,qui eſſe ſolet cum ſalubria ſunt tempora:quo in munere Curiones aliquot vitam glorioſè finierunt. Noſtri,ne quiſquam attactus ſine confeſſione, communione,ſacraque vnctione decederet diligentiſſimè curauerunt; Societatis operarios fractus ipſe inuitabat, & animorum è corporibus excedentium ſempiterna adeptę ſalutis argumenta perſpicua mirificè ſolabantur. Suos principiò cuique Sacerdoti commiſerat ex fratribus Socios P. Rector: ſed vnius ex his mors,qui vtiliſſimus erat adiutor,admonuit, vt Patres ſine ſocio egrederétur.Et quoniam Burgenſis ciuitatis ſuburbana, & quæ in excelſo ſunt domicilia permulta, permolendique tritici officinæ non paucæ perluſtrandæ erant à Noſtris,cuiuſdam liberalitate Matronę iumétum Pro-

curator

curator emit,ex illo equorum genere, qui itineribus ſunt aptiores, quàm pompæ, cuius opportunitas maxima fuit ad celeriùs gradiendum , accurrendumq́ue maturiùs. Cumq́ue peſtis rabies deſæuiret, mirabilis viſa fuit Noſtrorum Sacerdotum ſanitas,qui neque labori parcerent, neque pericula declinarent. Attamen remittente iam lue, Pater egregius Chriſtophorus Ribera , qui proximè Prouincialis fuerat,ſeq́ue & pijs exercitationibus, & generali confeſſione deterſerat,glãde ictus peſtifera , quinto quàm ægrotauerat aſſumptus eſt die , peſtem quidem ſi regredi valuiſſet,effugeret,ſed adduci non potuit vt ex ea vrbe migraret, in qua Societatis ſe operarium præbere voluiſſet , poſita iam Prouincialis perſona;erat quippe ciuitati pergratus,in qua olim ſuæ induſtriæ neruos intenderat. Optabat ſanctus ſenex vnâ cum reliquis noſtris Sacerdotibus exire , & adeſſe peſtiferis : ſed Pater Rector vt domi ſe contineret,& rectè valentium confeſſiones exciperet imperauit. Triduo poſt extinctus eſt Frater Franciſcus Mõtaltus templi AEdituus,qui ſeptuagenarius non aliter laborabat , ac ſi iuuenis eſſet. Hunc ſecutus eſt domus Ianitor , quem Dominus vigilantem inuenit.

REDIIT tandem , procella quieſcente, tranquillitas,Noſtriq́ue ſua munera ſolito more repetiuerunt : peſtis enim conciones interpollauerat,& quia lethalis multorum ſolet eſſe concurſus , & quia communis neceſſitas ſic Noſtris inſtabat, vt diuini verbi cum otio prædicandi nullum daretur ſpatium. Diuitum quorundam miſericordia Collegio non defuit,multi namque ex illis, qui timore peſtis abierant, priuſquam vaſa colligerent Noſtris dederunt,quæ dare ſolebant:alij ex illo vbi erant receſſu, eleemoſynas Noſtris mittebant,cum amoris ſignificatione non vulgaris.Ciuitas Noſtrorum in hac communi clade dilaudat officium,ſeq́ue gratam prębet,& memorem.

Priuata quorundam charitas teſtamento declarata ... nam legata ſeptingentorum ſcutatorum ſummam ... ficiunt.

# COLLEGIVM LVCRORIENSE.

COMMORATI viginti quinque; Sacer... tes quindecim; Decem Fratres adiut... Fuit hic annus vrbi funeſtus grauiſſimæ ... iuſdam peſtis exitio, quæ trimeſtri ſp... quinquies mille necauit. Noſtri homines ſui memores ... ſtituti, calamitatem pro viribus releuare conati, & c... feſſiones audierunt, & ipſo Collegij præſide duce, co... ctas eleemoſynas egenis diuiſerunt. Fuitque perop... tuna Noſtrorum opera, quandoquidem ciuitas non ... habuit niſi Noſtros, per quos miſericordiam ex p... ærario depromptam pauperibus largiretur. Erg... trem Bartholomæum Sernanum Rectoris Vicarium ... agentem, & ex Societatis dignitate curantem, ali... noſtros Presbyteros ſtruma peſtilens ſuffocauit. Sex ... tres quotidianis officijs deditos ipſa eadem peſtis ex... xit. Collegij vectigal excreuit, donante Matrona qua... aureos nummos quadringentos, lectiſſimæ alicuius f... minæ res vniuerſa familiaris ad Collegium peruen... eſt donationis inter viuos firmitate.

# COLLEGIVM SEGOVIENSE.

VRBIS frequentia; peſtiſque ſæuitia Noſtris ſui oſtendendi copioſam dedêre materiam. Ergo ab ipſo cladis initio noſtri Sacerdotes infectorum confeſſiones illa eadem alacritate audire cœperunt, qua morbo non contagioſo decumbentes adire, audireque ſolerent, neque eos peſtis nomen exterruit; ſed quamuis tabidis quibuſque, tùm animi, tùm corporis ſubſidia noſtri libenter afferrent, permanante tamen contagione, refertaque vrbe permagna languentibus commodior inita ratio eſt, parochijs diſtributis. Nam Segouienſis Præſul, vir & genere clarus, & prudentia mirabilis, ſua cuique Religioſorum familiæ regione attributa, perfecit, vt omnibus vbique ſubueniretur. In hac partitione Noſtris illa obtigit conſultò parœcia, quæ cæteras omnes incolarum numero longè ſuperabat, quippe quæ tecta bis mille contineret: hanc prouinciam liuidorum animos, corporaque curandi noſtri Patres libenter ſuſceperunt, & erogatis hinc inde eleemoſynis rem ex animi ſententia geſſerunt. Itaque quotidie Pater vnus, & Frater ægrotantium, qui egebant, domicilia inuiſentes, cuique pro neceſſitate ſuccurrebant. Expendebantur diebus ſingulis cocti panis fanecæ duæ, arieſque vnus, qui ſi quando Noſtros deficeret, illius loco centum oua diuidebantur, binæque ciſtæ quotidie allatæ pomis refertæ ſalubribus, data quoque vel ex melle, vel ſacaro confecta dulciaria, quibus faſtidium malè affectorum commune releuatur. Altero hæc porrigente, alter omnes, qui fateri commiſſa vellent audiebat. Hæc hoc ipſo

ordine per quatuor menſes continuos Noſtri fecerunt, ſpectante, laudanteque vniuerſa Segouia.

ITVM ſole ardente in ſuburbana remota hulla vrbis parte prætermiſſa, quamuis inacceſſa videretur. Succubuêre quatuor ex Noſtris, quos & labor defatig immenſus, & tracta peſtis interemit. Tres presbyter ſanctitatis eximiæ, vnus laicus virtute nó inferior. Et ſuper fami in maxima annonæ caritate conſultum. N ſingulis diebus in Collegij noſtri veſtibulo ducenti p peres alebantur, & quando fortuna Collegij tantam m lem ſuſtinere non poterat neceſſitatis, & beneficen clauibus, diuitum per Noſtros patefactæ ſunt arcæ, q rum pecunia miſericordiæ ignis, qui in noſtris forib quotidie incendebatur materia fuit. Erat hæc eleemo na permixta ciuitati, & quia ſua ſe longinquitate peru gauit, & quia qui beneficium acceperant, nullo non te pore prædicabant. Opificum Sodalitium, de quo a ſuam retinet viriditatem. Nam ſingulis Dominicis à q dam noſtro Sacerdote in ijs rebus inſtruuntur, quæ ſunt hominum ordini accommodatæ. Vnoquoque me Sacramenta percipiunt, ſemel in hebdomade ſe flagell cædunt. Feſtis diebus publica hoſpitia, valetudinariaq perluſtrant, vt afflictis, afflectiſque pro ſua quiſque fac tate ſubueniát. Latinitatis gymnaſium quale ſit diuer religiones ingreſſi ex diſcipulis multi teſtantur, & q tuor in Societatem noſtram admiſſi.

COL

# COLLEGIVM NVMANTINVM.

VIXERE hoc anno viginti quatuor, ex quibus Sacerdotes duodecim. Vota poſt biennium à duobus Fratribus nuncupata, quorum alter ſcholaſticus, alter rerũ adiutor externarum. Campum habet in hac vrbe Societas, vbi ſuorum excurrat induſtria. Vt enim alia deeſſent, publica cuſtodia negotij ſatis exhiberet, ad quam totius Caſtellæ remiges pertrahuntur, vt hinc ad triremes remo impellendas deducantur. Florebant quidem humaniores litteræ, & Sodalitas Parthenia multum habebat dignitatis, ſed in medio curſu ſtare coacta peſtis aduentu, quæ ineunte Auguſto ſe cœpit oſtendere, cùm ſeſquimenſem intra mœnia latuiſſet, cumq; Valetudinarium publicum peſte contactis ciuitas apparaſſet, nemoque externus loci curam ſuſcipere auderet, noſtra ſe Societas obtulit, & ſacramenta tabidis miniſtrauit. Donec ex D. Franciſci familia monachus quidam ouium illarum, quas dira lues miſerè deformarat, paſtor eſſe voluit. Noſtri illa cura ſoluti liberiùs communibus aliorum miſerijs occurrerunt. Sed monacho glandis ictu proſtrato, Noſtri ad idem Valetudinarium redierunt. Sed cum Dei beneficio religioſus ille Parochus breui conualuiſſet, iterum Noſtri priuatorum ædes, vbi multa erat contagio, ſecuriùs perluſtrarunt. Enimuerò intelligentes infirmas eſſe omnium ferè vires ſine conſilio, quatuor ex Noſtris ſacerdotibus, totidemque fratres ad peſtis bella miſerunt, reliquis domi retentis, & vt ciues ſanos audirent, & quatuor illis vel feſſis, vel extinctis ſuccederent. Igitur generali præuia confeſſione, & ſecretis contemplationis exercitijs de

Societatis more præmiſſis, ad pugnam prodierunt, Parochos incitarunt, ad intima vlceratorum cubicula penetrarunt, omnibusque horis vtrique neceſſitati ſuppenerunt, quatuor ipſos menſes in hoc laborioſo certamine perſtiterunt, adhæſionem cum peſtilentibus ne noſter auerſatus, coniunctiſſimis ægrotorum lectis ad quo eſſet ſecreta confeſſio, ſine metu Sacerdos applicabat. Et cùm Pater Rector malè habentibus in tanta ſolitudine pecuniam, quæ daretur aut parum, aut nihil profuturam eſſe intelligeret, cœleſti prudentia ollam à fratre coquo domi quotidie parari iuſſit, quæ diebus ſingulis quadragenos ſaturabat: erat enim & capax, & ipſe coquus ad charitatis officia promptiſſimus, iuris ſcutella cuique præbita, & carnis fruſtum quadrantale, dimidiusque panis. Veniebat, qui poterat hæc accepturus eratque Noſtris omnium catalogus egenorum: ijs tamen, quos aut dolor, aut pudor detineret ſportula per Noſtros quotidie mittebatur. Ipſeque Rector ollam publicè geſtabat, charitatem, & humilitatem laudante populo Numantino. Eſt inſuper multis prouiſum eleemoſyna grandiore, quam noſtri Patres à locupletibus corrogabant. Illius extraordinariæ miſericordiæ fama non in hac vrbe ſolùm, & eius municipijs, ſed in ipſa etiam Regis curia ſe dilatauit, ſimulque aucta eſt Societatis opinio. Quibus erat cum contagio certamen, eos nullus omnino morbus affecit, Immortaliſque Dei perſpecta prouidentia eſt, qua Noſtros ſeruauit intactos, qui cum peſtiferis aſſiduè verſabantur. Vnus Frater quem non timiditas, ſed obedientia domi tenebat, Michaël Fernandes venenato tuberculo tactus interijt, cùm ſe generali confeſſione ad moriendum parauiſſet: Latinitatis Doctor erat aptiſſimus, & morum bonitate laudandus. Fuerat bono huic Fratri propter muneris neceſſitatem à Patre Prouinciali permiſſa profectio: ille tamen manere

maluit

maluit,quàm fugæ ſuſpitione ſermoné ciuibus dare ma-
leuolis:qui Frater,& huius Michaëlis,& duorũ præterea,
quos etſi peſtis infecit , curam gerebat : tanta charitate
fuit,vt neque peſtis horrorem præ ſe tulerit,neque à fra-
trum , quibus medebatur , neceſſario amplexu abſti-
nuerit.

OBIIT vrbis Prætor, qui Monachorum amiciſ-
ſimus cum Noſtris non agebat:at vbi ille morbo ægro-
tare cœpit,qui lethalis ipſi fuit , ab illis derelictus , qui-
bus ſe totum penitus tradiderat, ſeptem , quibus ſuper-
uixit dies,Noſtros habuit lecti perẽnes aſſeſſores. Quid?
quòd in funere pro Magiſtratus anima duo tantùm rem
diuinam celebrarunt , alter ille fuit , qui in mortui exe-
quijs Sacrum de more cantauit, Sacerdos externus,alter
quidam Noſter,cuius charitatem populi plauſu proſecu-
tus,vnà Societatis erga alienos clementiam commenda-
uit,gratis enim benefica eſt,& auerſos, diuerſoſque con-
decorat. Quidam mercenarius,& pauper,ex ijs,quos vi-
rulenta peſtis oppreſſerat, ſeptem diebus nec corporis,
nec animi medico accerſito iacebat planè conclamatus,
diuino tamen conſilio factum eſt , vt quidam ex ſatis
longinquo domicilio hunc inuiſeret , qui animaduerſo
moribundi periculo noſtrum quemdam Sacerdotem di-
ligenter accitum in miſeri hominis tectum introduxit:
æger ad primam Noſtri admonitionem recepta non ſo-
lùm voce, ſed etiam mente ſua, eſt peccata quietè con-
feſſus,cumque Sacerdos abſolutionis verba pronunciaſ-
ſet,& Pontificij diplomatis indulgentiam conceſſiſſet,
IESV nomen ter appellauit ægrotus , & animam ſuo
reddidit Creatori.

HIS ſimilia noſtris operarijs in hac vrbis ſtrage eue-
nêre quamplurima,quæ laborem valdè minuebant.Mor-
tui circiter mille recenſiti , qui numerus infrequentem
vrbem,& incolis minimè abundantem non mediocriter



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

funeſtauit. Illud imprimis inſigne, litteriſq; digniſſimum, quòd nemo Parochus, nemo Religioſus occiderit ex illis, qui non tecto, & vmbra gaudere, ſed in ſolem, pulueremque deſcendere, & cum contagionis orco rationem habere in animum induxerunt. Non tacebo cuiuſdam Curionis inane conſilium, qui cùm diues eſſet, ſibique peſte metueret, Vicarium ſuffecit, vt ſe à peſte poſſet eximere, qui tamen haud multò pòſt peſte percuſſus, quinto demùm ſepultus eſt die. Similis eſt in laicis nihil præcauentibus, ſeque ad infectorum remedia ingerentibus, Dei præcipuo fauore, incolumitas obſeruata. Eſt profectò laudanda cura, charitaſque paſtorum, qui ſuo munere probè fungentes, neminem, niſi qui ſua culpa tacuiſſet, ſine tribus Sacramentis morienti neceſſariis è vita exire ſunt paſſi. Ciuitas Numantina Societati gratias agit verbis ampliſſimis, turbaque pauperum Noſtris omni loco, ac tempore benè precari non deſinit, & quæ à Noſtris accepit frequenter inculcat.

COLONIENSIS noſter in Germania Collegij Rector à quodam Hiſpano admonitus, qui matronis nobilibus, quę hoc noſtrum Collegium fundauêre, notus erat, diuino planè theſauro templum hoc noſtrum decorauit, miſſis ſanctarum Virginum, quæ Diuæ Vrſulæ ſociæ in martyrio fuerunt, binis capitibus. Habemus ab hoc eodem vnius ex Thebæis martyribus caput, & eorundem decem oſſa permagna: addita eſt obſignata tabella, quæ veritatis fidem facit, & veras monſtrat eſſe reliquias. Templo adhibita perfectio eſt, & ſepulchrum ex conformato lapide perpolitum ad epiſtolæ latus, in eo perilluſtris Ioannæ à Mendoza noſtræ fundatricis oſſa recondita.

# COLLEGIVM VILLAGARSIENSE.

NVMERVS Noſtrorum pro temporum ratione varius: Nam quia hæc Probationis eſt domus, decreſcit numerus, ſimul atque Nouitij biennio expleto ad alias Prouinciæ domos amandantur. Ergo Collegæ hoc anno alias ſexaginta quatuor, aliàs quinquaginta, ita vt nec illis plures, nec his vllo tempore pauciores numerentur. Sacerdotes 10. in ijs, vnus Latinitatis Præceptor, Fratres Grammaticæ Magiſtri tres, Adiutores quindecim, reliqui Nouitij. Tres Patres vitam cum morte commutarunt, duoque antiqui Fratres ex procuratione domeſtica, vnusque ex ſtudioſorum grege Nouitius. Suæ virtutis ſpecimen & tyrones, & veterani dedêre, quo die ad contagioſos in duobus Valetudinarijs Valliſoleti curandos, fouendos, conſolandos ſeſe omnes ferè obtulerunt. Duoque tandem Legionem miſſi, vt Noſtris inſeruirent, quos peſtis infecerat, Sacerdotum Noſtrorum charitas enituit, dum omnibus horis ad illorum excipiendas confeſſiones itabant, quos in hoc oppido peſtis tetigiſſet: quæ tamen Dei Opt. Max. clementia nec diuturna fuit, nec admodum furioſa.

ANNI rara ſterilitas mendicorum numerum ampliauit. Itaque paſti plus centum iure, pane, carne, & ollæ quotidianæ ſubſidio. Etenim ea rerum eſculentarum portio dabatur, quæ vitam commodè ſuſtentaret: igitur plures quinquaginta reperti, quibus octo menſium ſpatio miſericordia Noſtrorum ſatis fuit ad vitam propagandam. Quidam enim noſter Sacerdos eximia vir charita-

rita

ritate, hoc ſibi negotij dari popoſcit, cui duo Fratres Nouitij Adiutores additi ad rem commodiùs exequendam: cumque ex ijs mendicis multi ſæpè decumberent, eos frequenter hic idem Pater inuiſebat, etſi interdum tã Rector ipſe, quàm reliqui Patres ad ęgrotãtes adibant, & dona ferebant. Mittendi ad morboſos cibi hic erat ordo. Pomeridiano tempore ex Sodalitate Beatiſſimæ Virginis, Deique parentis aderant Scholaſtici propè viginti, ſingulis & teſtæ erant, & ciſtæ, has pane, illas iure & arietina carne repletas ad ægrotos deferebant. Neque ſolùm prandium & cœnam, ſed hoſpitium etiam à Noſtris habuerunt, ex his mortui penè ducenti, quorum multis de ſyndone à Noſtris prouiſum, quæ cadauer inuolueret. Eorum omnium veſpillones, illi ijdem Beatiſſimæ Virginis Sodales fuerunt, vt miſericordia omnibus eſſet numeris abſoluta. Poſt horum confeſſionem in ſacra Synaxi præbenda vehementer laboratum eſt, quippe cùm in varijs locis, diſiunctiſque iacerent, multaque eſſent palearia percurrenda, vt Sacramenta peropportunè poſſent miniſtrari, fructuſque laboris conſtitit, ne vno quidem reperto, qui ſine ſacramentis deceſſerit.

MISSIO Zamorenſis acta feliciter vno Noſtro in templis, & plateis fortibus lateribus concionante, & affectus permouente: altero confeſſiones innumerabiles audiente. Plauſus tantus oratori noſtro datus, vt Parochi relictis ſuarum Eccleſiarum concionatoribus ad noſtrum audiendum properauerint. Similis felicitas in excurſione vrbis, quam fluuij ſicci Medinam vulgus appellat, eam ciuitas prædicare non deſinit, Noſtro verba faciente concionatores cæteros corona defecit.

COL

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# COLLEGIVM POMPEIOPOLITANVM.

HABITARVNT ſedecim, Patres decem, duo vita functi, alter Sacerdos morbo vulgari, alter Adiutor, quem peſtis ademit, cuius cauſa à ferijs Diui Lucæ Gymnaſium Latinitatis conticeſcit, quod antequam lues irrumperet, mirè *florebat*, cenſis auditoribus quadringentis. Conſtituta Beatiſſimę Virginis Sodalitas in ſacello ſcholarum, quod ciuitas fabricauit, cuius quoque liberalitate formanda effigies eſt ſanctiſſimæ Dei parentis, Angelo ſalutante. Proximis intra, extraque vrbem nauata diligens opera.

ITVM eſt in vrbem celebrem Nauarræ ditionis, in qua duo noſtri Patres, quæ Societatis ſunt propria, gnauiter exercuerunt, locique incolæ Noſtris ferè vniuerſi confeſſi, ex quibus multi errata totius vitæ vomuerunt. Ardebat hoc oppidum ciuili diſcordia, in parteſque diuiſa ciuitas pernicioſis litibus contendebat: ſed vnus tamen ex ordine Senatorum ad Proregem adijt, poſtulans vt quemdam ex Societate legaret controuerſijs componendis: Prorex libenter annuit, litteraſque cuidam Noſtro dedit ad laicorum ordinem, Epiſcopus ad Clerum, Deique benignitate Rempubl. Noſter ille conſtituit, & à perturbationibus recreauit, firmata conditionibus pace tranquilla, incendioque reſtincto, quo animi, & corporis bona conflagrabant. Proregis receſſum peſte graſſante quidam Noſter comitatur, eiuſque audit confeſſiones, & concionatur ad plebem. Inde excurrit ad proximum quoddam caſtellum, vbi regij Prætores ſunt, id quod petiuerat regalis iudicij Præſes. Confeſſiones in

hoc paruo Collegio permultæ, tum optimatum, tum plebeiorum. Noſter quidam Presbiter huius Regij tribunalis Præſidem, & cum eo Prætorem vnum ſecutus eſt, quos publica quædam diſſenſio ad pagos in conuallibus ſitos proficiſci coëgit. Erat incolarum inter ipſos lis quædam antiqua de terminis, & cùm ex competitoribus vnus fortunis potens ad concordiam reduci non poſſet, concione noſtri Patris audita conſenſit, de pertinaciaque remiſit. Aucta eſt hoc anno pecunia Collegij trecentorum aureorum annua penſione, ſcutataque recuperata mille. Ex ſalinis quoque Dupanenſibus argentei nummi quinquies mille venerunt, quos in redditibus ponat œconomus; eleemoſynæ ſexcentis ſcutatis valuerunt.

## COLLEGIVM OVETENSE.

SEDECIM hoc anno Collegæ numerati, quòd peſtis clades imminentis ſenos duntaxat Patres, denoſque Fratres requirere videbatur, cæteris ad tutiora loca remiſſis. Igitur aptiſſimis ex vtroque ordine retentis, calamitas poſt hominum memoriam grauiſſima à remedio imparata non fuit. Mortuorum ſtrages tanta, vt Aſturum in vniuerſa Prouincia pars tantùm ſit tertia relicta, Parocho vix vno ſuperſtite. Sunt in hac vrbe, quæ totius eſt Aſturiæ Metropolis, Religioſorum domicilia quatuor, quorum tria in hac communi plaga intra priuatos parietes ſe continuerunt, ſolaque noſtra Societas per ſex illos, quos dixi Presbyteros, valentibus, & affectis ſacramenta miniſtrauit. Neque ſolùm ijs, qui intra muros ſiſtebant, hoc animarum eſt remedio conſultum: ſiquidem nouem pa-

pecias vrbi finitimas ijdem Noſtri ſacramenta daturi circuibant, qua in re vſque eò ſe diligentes Noſtri præbuerunt, vt rari ſint, quibus in morte ſacra defuerint.

AD ruſticanos ſacroſancta Euchariſtia argentea capſula deferebatur, vrbanis peſte contactis: ſi modò pedibus ingredi poſſent, in quodam noſtro ſacello ſacra ſynaxis eſt præbita: ſanis in eodem noſtro Collegio cœleſtis vitæ panis diſpenſatus. Furente peſtilentia ex decem fratribus obiêre ſeptem, quos Prouincia vniuerſa deſiderat: erant enim Societatis accommodati muneribus, & religione præſtabant. Labor vt in tanto diſcrimine, ſummaque eos defatigatio continuit, & glorioſa morte decorauit. Peſtis incendio remittente tres Patres ad vitam meliorem tranſiêre, primus etſi claudus, & ætate prouectus, tamen ita ſe velociter incitabat, vt nemo pedes, iuuentamque requireret, cùm diem totum laboraſſet, & ſe domum vicina nocte recipere conſueſſet, laſſitudinem nullam ſentiebat: alter & iuuenis, & minimè debilis, ad remedium tantæ miſeriæ alas induiſſe videbatur. Erat orationi deditus, deque diuinis rebus mirificè loquebatur. Hoc dicente ardebat auditor, & quicquid Pater vellet, ſeſe facillimum exhibebat. Tertius vitæ annos ſeptuaginta compleuerat in optimis operarijs numeratus. Rara in eo humilitas, & mundi contemptus, Dei, & proximorum ardebat amore, & quia propter ætatem ſe iam externis dare non poterat, in ſancto contemplationis otio perdurabat, inflammabat, incitabatq; domeſticos, qui ſe eius vno congreſſu mirificè recreari dicebant. Denique hominis ſanctitati dedit Collegium, vt corpus lignea techa incluſum, altari vicinum ſepeliretur. De his, & cæteris Prouinciæ mortuis quædam nominatim agit hiſtoria, quocirca ne actum agere videamur, horum, & aliorum nomina in his annalibus conſultò reticemus.

COL

# COLLEGIVM
## SANCTANDERIENSE.

DEGVNT quinque Patres, Fratres non pl
res quatuor, Societatiſque in hoc portu m
nia per hoc nouem diligenter exercita, c
Gallia Bretonum freto huc appulſæ Libu-
nicæ noſtris operarijs diligentis miſericordiæ ſegetē t
lêre copioſam. Remiges à Noſtris in corporis, animiq
rebus adiuti, & ad patientiam incitati. Fructus quant
exſtiterit, confeſſionum crebritas demonſtrauit, & e
confeſſionibus vitæ correctio; cumque iam confeſſio-
ni ſatisfactum eſſet, quæ quotannis à Chriſtianis exigitur,
qui ad annos pœnitentiæ idoneos peruenerunt: tamen
promulgato quodam Iobileo ab ipſo Claſſis Præfect
Noſtris intercurrentibus Remiges impetrarunt, vt tri-
remibus ad Collegium venire liceret, & denuò confeſſ
ſacram Synaxim perciperent ad indulgentias potiundas.
Ergo vtraq; Iobilei hebdomada vicini quatuor roſaria
ferentes veniebant, populo ad ſpectaculum concurren-
te, Deumque laudante, qui Societatem tantorum bo-
norum effectricem adduxiſſet. Ferri, & cathenarum ſtri-
dor Portuenſium aures delectatione mulcebat, & eos qu
vel è feneſtris, vel ex ædium liminibus aſpicerent, ad la-
chrymas inuitabat. Noſtri multorum, qui remigio ad-
dicti iuſtas miſsionis, & libertatis cauſas oſtenderent,
plenam libertatem impetrarunt, eorum ſuaſu dux ipſe ſe-
uero edicto pellices à triremibus expulit, vrbiſque Ma-
giſtratus Noſtris itidem hortantibus, eaſdem relegauit.

# COLLEGIVM MONTISFORTIS.

CVM anno ſuperiore, qui fuit milleſimus quingenteſimus nonageſimus octauus, ſæuiſſima, & infeſtiſſima peſtis hoc caſtellum perdidiſſet, Noſtri pariter, & Patres, & Fratres perierunt; mors tamen inuidenda magis, quàm miſeranda fuit præmiſſis ſummæ charitatis officijs, ne tamen periclitarentur bona Collegij, vnius fratris viui incolumitas impediuit: cui cœlo iam ſalubriore, & hominibus ex tanta procella recreatis duo adiuncti ſunt ſocij, quorum alter Sacerdos, qui domui præeſſet, & Fratribus ſacra procuraret. Hi tres hoc anno in Collegij, & templi ædificatione promouenda ſolliciti, & artifices conuocarunt, & pecuniam in ſumptus operis præparauerunt. Renouata noſtræ domus cuncta ſuppellex, exuſtaque veſtis quam peſtilentia tetigiſſet. Rationum collecti libri omnes, in quos accepta, & expenſa relata erant. Ex ampliſſima re familiari, quam Illuſtriſſimus Hiſpalenſis ex ordine purpuratorum Patrum noſtris illis commiſerat, quos peſtis abſtulerat, & ei, quem Cardinalis elegerat ad rationem exigendam de Noſtrorum eſt fide, & integritate pleniſſimè ſatisfactum. Quam ob rem Cardinalis, arca eis referta nummis, quos ad Collegij, templique ſubſtructionem Hiſpali clarus Antiſtes, regali quadam liberalitate mittebat, quæ cuidam erat externo credita, Noſtris, Cardinalis iuſſu, tradita eſt, & cuidã è Societate plena ſimul permiſſa poteſtas vectigalia cũcta recuperandi, quæ in hoc Callaico regno Caſtrenſi Roderico Principi ad immortalitatem nato penſitantur.

Itaque deinceps commodiùs tanta ædificij moles vrgebitur, pecunia promptiore: licitum namque eſt huic nouo ex Societate Quæſtori, eam pecuniam quam Cardinalis nomine recuperat, in noſtrum opus expenderem argumento clariſſimus Præſul oſtendit, quantum noſtris hominibus tribuat, & quàm eſſe fideles, atque integros arbitretur. Dedit idem nobis benignus Antiſtes precioſiſſimam crucem, cui ineſt imago Chriſti crucifixi, cum diues materia, ab arte tamen ſuperatur; eam perhibent Sixti fuiſſe Romani Pontificis ingentis ęſtimationis: multa præterea dona coaceruat, & congerit, reſeruatque Collegio: & quamuis ex illa cum Rege noua Valentini profectione æs alienum grande contraxerit, tamen nuper bis mille aureos ad nos miſit, illorum qui in hoc Regno colliguntur additamentum. Nunc quando iam creditoribus ſatisfecit (is enim eſt, qui nihil debere diutiùs velit) ingens ſumma expectatur, quæ fabricam vehementer promouebit. Vinea, de qua aliàs, & omnino ſepta eſt, & vallata ſæpibus. Idem de horto vtraque poſſeſſio aureos annuos millenos Collegio latura creditur poſt breue temporis interuallum.

---

# COLLEGIVM VERGARENSE.

CONVIXERE 10. Patres, 5. Fratres, item 5. tam animo quàm corpore in hoc anno quaſi fatali valuerunt. Religioſa diſciplina floruit, & eorum munerum gloria, quæ in Ignatij familia inueterauit, apud Vergarenſes creſcit in dies. Conciones ad plebem noſtræ ſunt ferè, inque baſilicis ciuitatis nemo alius verba facit, niſi qui Societatis eſt:

publi

publicę beneuolentiæ teſtimonio præclaro, Quadrageſima tota quidam Noſter in Aſcoctienſi caſtello, non procul à noſtri Patris Ignatij natali ſolo, Senatu ipſo poſcéte Dei verbum prædicauit. Humanitatis ſcholæ, liberorum parentibus, quos inſtituit Societas, quia valdè eſſe fructuoſas vident, valdè ſunt gratæ. Prædij pars empta ad ædium laxitatem, & horti frugiferi ſedem.

# COLLEGIVM COMPOSTELLANVM.

VITAM agunt ſex & viginti, Sacerdotes ſeptem, Fratres qui litteras profeſſi in Phyſicis, & Metaphyſicis occupantur octo, reliquus eſt numerus Adiutorum. Hæc paucitas incolarum ex ſuperioris anni peſte fuit, duobus extinctis Patribus, & Fratribus quatuor, quorum adhuc deſideratur ſupplementum. Societas & in vrbe, & in omni Callaico Regno diligitur, & eius munera magni penduntur. Cuius duo illa valida ſunt argumenta: alterum ludi litterarij ad alphabeticos pueros inſtituendos illuſtriſſimo Compoſtellano Archiepiſcopo auctore fundata aureis annuis trecentis attributis; alterum Latini petitio Gymnaſij conſentiente Academia, resque ad Regium Senatum relata iam eſt, quo inconſulto in huiuſmodi negotijs nihil tranſigitur. In hoc opus idem Archiepiſcopus Ioannes à ſancto Clemente aureos quingentos in ſingulos annos pollicetur. Non prætęribo eodem auctore Archiepiſcopo, tum pietatis, tum clementiæ inſigne monumentum: Noſtris & hortãtibus, & exequentibus orbarum puellarum ædificatæ domus, vbi ad fidelitatem quæ à furtis abſtinere iubet, & ad caſtitatem, quæ turpitudini, libi-

diniqúe reſiſtit eruditæ fœminæ, matronis honeſtis rectè ancillari queant. Vtraque enim hæc virtus in his terris deſiderata eſt. Sanctorum oſſa permulta in ſumptuoſas incluſa thecas in templo noſtro ſunt honorificè collocata. Triclinium omnino perfectum ſpecie viſenda quin etiam domeſticus fons elaborato artificio Noſtros, & mane ſurgentes, & ad prandium, & cœnam venientes detergit à ſordibus, epiſtomio fundendis aquis perbellè apparato.

# COLLEGIVM LEGIONENSE.

PESTIS commune malum celebre Latinitatis Gymnaſium occluſit, & noſtris operarijs certamen dedit illuſtre, Rector ipſe Collegij primus in acie ſtetit, & pro peſtiferis cum peſte pugnauit, quem cæteri ſecuti ita ſe tabidis tradiderunt, vt Patri Prouinciali ex Callaico Regno redeunti ab vtroque Senatu actæ ſint gratię. Duo Patres, ſexque Fratres in pugna cecidêre, de quibus peculiaris hiſtoria ſcripta eſt, & ad noſtrum Patrem Generalem miſſa. Artium (vt vocant) curſus incœptus pacatis iam rebus, & humaniorum litterarum ſcholæ renouatæ. Tria quæ præterea reſtant Collegia ſiluerunt, neque de ſuis rebus nos fecêre certiores, quas non dubitamus fuiſſe magnificas.